



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VI. De modo induendi Infantem habitu Ordinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

TITULUS VI.

De modo induendi Infantem Habitu Ordinis.

1. **P**ræparatum Infantem Parentes vel alii eorum nomine adducunt ad altare, & ante illud genuflexi tenent Infantem, & interim Superior indutus superpelliceo & stolâ, assistente sibi Acolytho cum thuribulo & aquâ benedictâ, accensis etiam cereis in altari, benedicit vestimenta posita in suppedaneo altaris, vel in mensa aliqua ad hoc præparatâ, stansque facie versus populum, dicit:

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

V. Domine exaudi orationem meam.

V. Dominus vobiscum.

O R E M U S.

Domine Jesu Christe, qui pro salute nostra suscipiens humanam naturam, te vestimento carnis induere dignatus es, Benedictione sanctâ tuâ bene ✠ dic ista parvula Vestimenta, quæ pro gratiis tibi exolvendis omni cum devotione sanctoq; voto, ac veneratione Beatissimæ Virginis Mariae et B. Francisci Infans iste super se suscepturus est: infunde in eum quam sumus tuam sanctam Bene ✠ dictionem, ut cum primum induerit hoc Religioni simile vestimentum, intercedente eodem B. Francisco, descendat super eum gratia tua, qua protegat illum ab omni malo mentis et corporis. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Resp. Amen.

2. Deindè aspergit aquâ benedictâ Vestimenta, & Infantem, & accepto thuribulo, ter & hunc & illa incenset. Cùm verò Parvulus vestimentis suis exiit, dicat Sacerdos:

Cc 3

Eripiat Dominus de corde tuo seculi pompas, quibus abrenuntiasti, dum Baptismum reciperes.

Et dein addit sequentes Psalmi Versus :

Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salva me.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat, &c.

3. Postea Sacerdos cum aliorum adiutorio induat Infantem Habitu & Caputio, dicens :

Immittat in te Dominus Religionis amorem, sanctoque fervore succendaris, et ardeas caelestium bonorum desiderio.

4. Postmodum cingens Infantem, dicit :

Præcingat te Dominus Zonâ justitiæ, ut immaculata conserves omnia membra tua.

Et subjungit Psalmum : LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES, &c. cum GLORIA PATRI, &c.

5. Deinde dans Parvulo candelam accensam, dicit :

Verf. Domine exaudi orationem meam,

Verf. Dominus vobiscum.

O R E M U S.

Domine Jesu Christe, lux vera de vero lumine, qua sumus clementiam tuam, ut per intercessionem B. Francisci mentem Parvuli huius illumines, ut cum ad annos discretionis pervenerit, sancto tibi corpore animoque deserviat. Qui vivis et regnas in secula seculorum. R. Amen.

6. Postea

6. Postea Infantem benedicat, hoc modo :

Confirma Deus in Puerō isto, quod in eo operari cœpisti : à Templo sancto tuo deducat eum spiritus tuus bonus in terram rectam, et bene ✠ dictio tua sit super eum semper. Resp. Amen.

Et dein Parentem, Infantem, aliosque Circumstantes aspergit aquâ benedictâ, & sic dimittit.

7. Admoneantur tamen, quòd expleto tempore deportationis illius Habitûs, denuò reverti debeant, ut Vestes cum solemnitate acceptæ cum eâdem quoque exuantur, modo Titulo sequenti præscribendo.

TITULUS VII.

De modo exuendi Infantem.

ELapso tempore voti quo Parentes infantem devoverant, ut veste Ordinis indutus incederet, ferunt infantem in templum ante altare ubi Sacerdos indutus superpelliceo & stola stans ad altare, & ad infantem conversus dicat :

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat,

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Domine sancte Pater omnipotens aeternae Deus, à quo omnine est donum, tibi gratias referimus, et impleta vota reddi-